



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. VIII. In Indias mitti petit; sed non impetrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

id ipse rogatus amico cuidam suo aperuisset. Ad hunc ipsum cum subinde litteras daret: *Non ego, inquit, fui, qui ipse decernerem posthac ad ista incumbere; sed DEUS mihi non obscure significavit, quod hac à me ipse exigat. Faxit idem, ut hac ego prestare valeam, neque fidem ipsi datam fraugam: id enim si fieret, vehementer timerem: idcirco non omitat R. V. orare pro me, quia ego vehementer contremisco.* Hac ratione P. Paulus misit manum ad aratrum, nec ab illo momento unquam respexit retro, semper giganteis passibus cæpto itinere progrediens.

§. VIII.

In Indias mitti petit, sed non impetrat.

Confestim advertit ejus Collegij Inquilinostam miramutatio, apparuit enim P. Paulus totus cogitabundus, & alienus ab omni animi laxamento; perpetuò ferè suo clausus cubinulo, aut orationi vacabat, aut sacrorum librorum lectioni. Ad corporis afflictationes quod attinet, petiit, & obtinuit ab arcanorum animi arbitro, ut earum tum multis excruciare semet liceret, quàm multas sine notabili valetudinis detrimento usurpare sibi posse videretur: quantum autem ipse magnanimo illo fervore suo ferre sibi posse videretur, nos quidem narrare non possumus; cum præter se & DEUM, arbitrum ejus rei nullum admitteret. Audiebantur tamen totâ domo formidabiles flagrorum ictus, quibus ille in se quotidie sæviebat, & variis minimèque dubiis indiciis arguere licebat, brevissima illi esse somni spacia; nec nisi nudos super asseres exigi solita. Manifestioribus argumentis perficiendæ Paupertatis studium prodidit. Inquisivit solerter, num quid esset, quo minus

aus indigeret, & quidquid horum invenerat, confestim cubiculo suo extulit, iis etiam adjectis, quibus agrè carebat; quo in numero fuit cistula viatoria, in quam, dum iter faciebat, suarum Concionum fascēs includere consueverat; quas deinceps frusto telæ cerâ illitæ inseruit; atque hæc fuit tota sarcinarum moles, quam dum Concionum causâ ab una in aliam, quantumlibet remotam urbem abibat, secum deinceps ferre consuevit. Et quia postea caritas in eo semper crescebat, flammæ instar, aspirante propitiâ Spiritus Sancti aurâ commotæ, accensum in ejus animo est desiderium sanguinis fundendi, & vitæ in Christi honorem impendendæ, eumque in finem ardentem institit, ut ad Orientis Indias mitteretur; etsi Superiores, cum cognovissent, quantum vir tam præclaris instructus dotibus emolumentum afferre posset Christianis veteribus in Europâ, è majore DEI gloria futurum existimârent, si eò abeundi facultatem illi negarent. Neque tamen idcirco flagrans divino amore animus omni spe excidit fundendi pro Christo sanguinis, amico cuidam suo fassus, confidere se, quòd maritimo aliquando in itinere aut à Turcis, aut aliis à Christo alienis captus, beatâ illâ sorte sit potiturus. Pascebat interim Zelum suum solitâ Verbi DEI prædicandi exercitatione, nec unquam sacrum suggestum conscendebat, quin & longas preces, & acrem sui diverberationem præmitteret. Ita autem se diverberabat, ut cum Mantuæ concionatus est, vicini aliqui, qui è regione Collegii habitabant, audito tanto verberum strepitu, tamque in longum protracto, ad Collegium accurrerent curiosè quæsituri, quisnam tandem è Patribus tam atrociter in se sæviret?